



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput XX. a Clemens III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

care, atque excommunicatos denunciare; & tunc eorum absolutio Romano Pontifici referatur. Latius profequitur expositionem hujus excommunicationis Gibalinus verbo *Incendiarius*.

d *Laborare*.] Etsi graviter peccent beneficia de manu laici accipiendo, ut probavi in cap. *quisquis*, de *elect.*

CAPUT XX.

a Clemens III.

AD eminentiam Sedis Apostolicæ est recurrendum quotiens articulus dubitationis emergit, ut tantò quis promptiori conscientia recipiat, & obleret, quod super re dubia sibi fuerit a Sede Apostolica responsum, quantò prærogativâ dignitatis illius certiori noscitur ipsius sententia veritate roborata, quæ in beato Petro Apostolorum Principe præ omnibus aliis amplitudinem prælationis accepit. Sicut autem ex parte fraternitatis tuæ nostris est auribus intimatum, dubium tibi existit, utrum ij sint absolutionis consequuti beneficium, qui cum pro injectione manuum in clericos, vel alias religiosas personas, excommunicationem incurrerint, à legatis Cardinalibus, qui à latere Rom. pont. destinantur pro tempore, fuerint absoluti, cum iidem Legati mandatum sibi super hoc non ostendant expressum. Super quo id à te, ac tuis suffraganeis volumus observari, ut eos habeatis absque omni hesitationis scrupulo absolutos, quos consistent à talibus beneficium fuisse absolutionis adeptos.

NOTÆ.

a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 9. etsi nullibi exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex.

b *Religiosas personas*.] Canonicos videlicet regulares, religiosos, aut conversos ut probavi in cap. *non dubium* 5, hoc tit.

I. c *À latere*.] Non tamen temporibus Clementis III. omnes Legati à latere ex Cardinalibus eligebantur, sed ex Episcopis, aut Archiepiscopis, ut probant Glossa in cap. *excommunicatis*, de offic. leg. Souchetus ad epist. 260. Ivonis Carnot. Unde ex præsentibus verbis, Legatis Cardinalibus, non inferas, his temporibus omnes Legatos à latere fuisse Cardinales, licet postea observatum sit, ut non nisi Cardinales Legati mittantur à latere, seu de latere.

d *À talibus*.] Legatis videlicet à latere, nam inter eos, & alios Legatos missos, seu natos magna versatur differentia; nam Legatus à latere à quacunque percussione poterit absolvere, tam eos qui sunt de sua provincia, quam alios omnes, qui ad eum recurrerint toto tempore suæ legationis, hoc est à die, quo à Curia Romana egredietur, usque ad diem, quo ad ipsam regredietur. Glossa, & Panormit. in cap. *excommunicatis*, de offic. legat. Legatus verò missus, qui non est à latere, non potest absolvere nisi eos, qui sunt de provincia sibi commissa, & quandiu in ea extitit, ut facile colligitur ex d. cap. *excommunicatis*. Tandem Legatus natus qui Legati officium simul cum ipsa dignitate habet, non potest absolvere ab hac excommunicatione, nisi in casibus, in quibus alij ordinarij absolvere possunt. Molina de iustit. tract. 3. disp. 58. Gibalin. in synopsi, fol. 466.

CAPUT XXI.

a Clemens III.

NOBIS fuit ex parte tua quæsitum, utrum si quis ita pronunciaverit: Qui fur-tum fecerit, excommunicatus sit? hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius. Ad hoc utique dicimus quod hac sententia non nisi e subditi obligantur, nisi fortè postea contulerit major, & largior auctoritas delegantis.

NOTÆ.

I. a *Clemens III.*] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 10. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

2. b *Furtum fecerit*.] Quatenus pro futuris culpis possit excommunicatio proferri, pro conciliatione hujus textus cum cap. *Romana*, §. *caveant*, hoc titul. in 6. exposui in cap. *prætere*, §. 40. de appellat.

c *Non nisi subditi*.] Glossa in præsentibus expli-

cat, quatenus per mortem Prælati, aut translationem ad aliam Ecclesiam cesset excommunicatio: quam tractationem profequuntur ultra laudatos à Barbosa in præsentibus, Suarez de censur. disput. 20. sect. 2. Gibalinus eod. tract. *disquisit.* 1. §. 3. num. 1. Balleus verbo *Excommunicatio* 1. nu. 60. Cornejo tom. 3. de censur. tract. 5. disp. 4. dub. 3. §. 3. Diana p. 5. tract. 9. resol. 64.

COMMENT